INAUGURATIO
OLIVARIANA
SIVE PRO

Præfecturâ Seenissimi nec non Augustissimi nostri

DOM.

OLIVARI:

D. G. ANGLIæ SCOT. & HIBER. nec non Regionum tam remotiorum quam circumjacentium

PRINCIPIS & PRÆPOTENTISSIMI

PROTECTORIS

CARMEN VOTIVUM.

Editio secunda.



LONDINI,

Impensis *Edoardi Blackmoore*, sub signo Angeli, in cœmeterio Divi *Pauli*. M. DC. LVI.

c

In trium Nationum Subsidium selectis, &

In Eminentissima celsitudinis

OLIVARI

CONSILIA COOPTATIS;

Viris verè Pientissimis & Illustribus.

Dom. *Henr. Laurentio*, à Consiliis Præsidi.

Dom. *de Insulâ* Vicecomiti *L'Isle*
Dom. *Fleetwoodio* Hypostratego
Dom. *Lamberto* Majori Generali
Dom. *Disbrougho* Thalassiarchæ
Antonio Ashleyo Coopero Baronetto
Carolo Wolsleyo BARONETTO
Gilberto Pickeringo equiti aurato
Majori Gen. *Skippono* armigero
Edvardo Comiti de *Mulgrave*
Domino *Gualtero Stricklandio*
Richardo Majori ARMIGERO
Edmundo Montague armigero
Francisco Rouse ARMIGERO
Guilielmo *Sydenham* Armigero
Philippo Jonesio ARMIGERO
Dom. *Nath.* Feinissio privati Sigilli custodi, nec non magni Sigilli Commissionario.

Joannis Thurloo à Secretis, & Armigero.

F. F. hanc

INAUGURATIONEM OLIVARIANAM

OBSERVANTIæ ergo

D. D. D.

Illustrissimi Domini,



IN arenam Musarum descendentem, vester candor mirus erexit, & Nominis *OLIVARI* nostri redardescens flamma, *Fulguris* in morem repentinis motibus afflavit. In cujus eximias laudes hoc *Poema* summo zelo, ferventissimaque animi Devotione elucubratum, non est (*amplissimi Viri*) quod dubitem, quin faventibus oculis, & animis intueamini.

Ad vos Insignissimi *Mecænates*, appello, Quos in trium potentissimarum Gentium *Tutelam* accivit, & accendit, *Jubar Illud* fulgentissimum *Pietatis*: *Vos*, Quos suis Consiliis associavit *Ille* consultissimus *Apollo* Politiæ, *Tripodumque Britanniarum* plusquam *Delphicum*, ni fallor, oraculum. *Ille* cui singula Belli Pacisque studiis accommodatissima syderum συζυγίαι contulerunt. Ad venerandum cujus nomen Imbellis in Primordiis commoveor, in quantum non unum, vel elapsa viderunt, vel futura, prout auguror, videbunt sæcula, Qui cum tanto *Principe* Jure conferatur. *Ille*, Qui à Juventute ad *Angliæ* Priscum *Senatum* Delegatus, ut Patriam servaret *Togatus*, Armis consuluit, & rursus ut propagaret servatam, *Paludatus* Pacis artes excoluit. *Ille*, Qui ferocientes *Perduellium* debellavit, & mollivit animos, *Qui* Munitissima *Rupium* labefactavit Robora: *Qui* Castra undiquaq; formidanda Bellicosissimus expugnavit, expugnata delevit, & tantis Auspiciis, tanta Fide, tanta Fama *victor* ubique evasit, ut inauditum Fortitudinis *miraculum*, stupendumque virtutis *Prodigium* pene videretur.

Nec se sistit hic impetuosus Ille triumphorum *Torrens*, Qui ad *Oceanum* usque devolutus, Terrarum Trophæis *æquoris* adjecit, ut à *Geminis Elementis* victor audiat, *OLIVARUS* Ille Terra, Marique *Triumphator*.

Sic enim *Scipio* noster, Excandescens διαπρηστῆρος instar, in Terrarum Hostes Bellorum Fulmine grassatus: sic

Duellius

Duellius Thalassiarcha Noster, vicinorum, *Pœnorum* pene dixerim, Navales Copias profligavit, Horrorisq; tantum populis incussit, ut circumfusæ gentes, nobiscum per *Legatos* inducias redintegrantes, mutuum *Fœdus* & amicitiam Piis officiis corroborarent.

At, at, *viri spectatissimi*, non in hoc PROTECTOR noster serenissimus (in *Britanniarum* Munimen, & afflictorum solamen natus) acquievit: *Qui* postquam *Jani* valvas occlusit, & plusquam *Decennalis* Belli fluctibus immersas tres gentes redivivas erexit, & erectas in tranquillitatis Pacisque Portum reduxit: Quique Postquam *Templa* ruitura suffulsit, *Leges* resancivit, *Libertates* armis victricibus asseruit; Denique post tot indefessos & *Herculeos* plusquam Labores, *CONSERVATORIS* & *PATRIOTÆ* titulum *Monarchæ* longe prætulit: In hoc scilicet Prædicandus, quod tanto splendori, tantis fascibus, & tantis adoreis tanquam *destinatus*, *Gestis* eximiis licet suadentibus, & *meritis* impellentibus, augustas tamen *Diadematum* Dignitates, & *Regalia* Sceptra ex animi modestia, declinavit, atque suffugit.

Hæc dum in sensius altius induco, ἀναζωπυρȣ͂μαι, atque ex minimis (licet imparibus) scintillis, πρόσωπον illud τηλαυγὲς intueor, quæ exiles ingenii Dotes in hoc elogium correptius accenderunt. Vos igitur *venerandi Domini*, Quibus tantis Epulis, id est *OLIVARIANIS*

Consiliis,

Consiliis, accumbere concessum est, hosce Puerperæ *Minervæ* tenellos Fœtus ; & hæc oblata Musarum Libamina, æqui, bonique Consulatis, *Quæ* velut in *Aras* Eminentiarum vestrarum libenter immolantur ;

Unde Vos *Qui tanto* Principi *à Consiliis Maximis Inservientes Gesta tanta legendo, collaudando, demumque fovendo, non vulgarem laudem reportabitis, & in Posterum multo Majus, & elucubratius* Opus *aggressuro fiduciam, novosque fæliciter animos adjicietis.*

ILLUSTRISSIMI DOMINI

Servo vestris dignitatibus omnimodis observantiæ nexibus addictissimo,

Fitz-Payno Fishero.

E cubicu'o apud Hospitium Medii-Templi in Ulmensi curio â. Scripsi Kalendis Aprilis, Sal. Anno MDCLVI.

Piſcatoris Poemata.

INAUGURATIO OLIVARIANA

COeli magne *SATOR* noſtris illabere cœptis,
Tu, Qui ſtelliferi ſolium moderaris *Olympi*,
Terrarumq; vices, & quicquid *Nerëus* ingens
Et Circumfuſis Pelagus complectitur ulnis;
Quique tremendorum (concuſſo cardine rerum)
Fata redordiris Regum, nativaque tandem
Nativos ad Regna vocas, ut ſentiat orbis
Sceptiferis quæ meta *Scotis*; tandemquë reponi
Tutius indigenis genialia Sceptra *Britannis*.
Ergo novus ſurgat feſtis felicibus annus,
Et genio meliore micet; Saturnia jamiam
Nubila ab angligenis tempeſtateſque ſonoræ
Deceſſere procul, ſæcli & melioris origo
Rector *OLIVARUS* ſupero demiſſus Olympo
Afflavit Briticum ſeclis melioribus orbem.
Ille *Caledonii* malefidus *Carduus* horti
Qui toties Impune pios vexaverat *Anglos*,
Qui toties Impune Roſas turbaverat, eheu
Succutitur! vulſiſque jacet Radicibus excors.

Ille Leo *arctois* qui horrendum rugiit oris
Finitimumque ſuo rugitu terruit orbem,
Excuſsis cervice jubis, preſſoque quievit
Ore * *Leonino* doctus parere *Cromelo.*
Ille Leo *Batvais* aſſuetus ſurgere roſtris
Vngue ſagittifero qui tanta pericula terræ
Tanta tulit Pelago, ſtrato ſuccumbere dorſo
Atque *Leonino* didicit parere *Cromelo.*
O fortunatam de tali *Principe* gentem
Qui male concordes iu fœdera ſacra *Batavos*
Duxit, & indomitos docuit miteſcere fluctus.
O fortunatam de tali *Principe* gentem
Qui priſcis præluxit avis: vos dicite Reges
Quo virtus *OLIVARA* modo veſtigia veſtra
Tranſcendit, pauciſque egit tot geſta diebus
Grandia quæ longo vos vix potuiſtis in ævo.
Mira quidem, ſed vera cano; Majora Poetæ
Cunctaque dum fingunt, ſunt hæc majora Poetis.
Ille togæ fidus Rector, Bellique Strategus
Inſtituit Pacem ferro, liteſque nefandas
Suſtulit, ut *Britonum* civilia Bella faceſſant,
Membraque disjuncti redeant cervice ſub una
Corporis, & ſolitis coaleſcant viſcera membris.
Ille *Senatorum* rixas & jurgia deflens

* Alludit ad inſignia nempe Leonem quem ſcuto gerit Coromelus.

Heu

Heu male divisis in mutua viscera truncis
Arbiter emicuit, propria cum sponte *Senatus*
Re infectâ decessit iners, navimque reliquit
Fluctibus, & cæci subituram fata profundi:
Ille insperato *Cynosura* eluxit Olympo
Ille pius *Palinurus* erat, navarchaque gnarus
Admisit vidui clemens moderamina clavi:
Sic *Hyadum* nimbos, & opacæ vellera nubis
Densa coruscanti perrumpit lumine *Titan*
Lætaque adumbratis renovat Spectacula Terris.
Ille Pater Patiræ, Libertatisque reductor,
Ceu novus *Alcydes* ruituram à culmine gentem
Supposita cervice tulit, nec fortius *Atlas*
Stelliferum fulcivit onus; nec machina cœli
Firmius *Herculeis* steterit librata lacertis.
Talem *Anglus* poscebat inops; qui vindice dextra
Afferat incolumem, solitaque in sede reponat.
Talem Templa ducem, talem populique petebat
Sanguine parta salus, ut non sine Remige tanto
Turbida tranquillos peteret *Respublica* portus.
Vos ô *Causidici*, nec non gravitate *Solones*
Qui sic excubiis nodosa ænigmata legum
Solvitis, euge hilares tanto gaudete *Patrono*;
Iudice quo, *Themidis* passim delubra Recludi

Cernitis, auricomasque faces fulgentis Honesti
Astrææ nitidumque Iubar; stant Rostra togato
Tuta Patrocinio, formidatumque Tribunal
Alligat officio cunctos, & lancibus æquis
Partitur Ius cuique suum, dum fœdere pulchro
Fortior in mediis assurgit Curia Castris
Atque *Paludato* famulantur Iura *Cromelo*
Evge magne *Pater!* victrices Indue laurus
Nec tamen exiles hederarum sperne corollas
Celse, nec oblatæ libamina respue musæ
Spirantis pro thure, Preces, & pectore anhelo
Votorum cumulantis opes, ut primitus alti
Cura Poli gradiens, terram fulgentibus armis
Circumagas, cæptisque potens fœlicibus instans
Fusa per *Herculeas* referas vexilla columnas.
Blanda Tibi procedat Hyems, ver moxq; propinquum
Flore coronati cunabula preparet anni.
Inde serenati clementior aura *Favonî*
Pratis te pingat croceis; te messibus æstas
Induat, autumnusque rubentibus imbuat uvis.
Luxurient segetes, opibusque domestica tellus
Turgeat aucta suis, *Britonum* passimque per agros
Mellea lactifluis spument mulctralia vivis.
Huntingduna suis te Patria proluat undis

Læti-

Lætitiæque Scatens *Thamesis* fluat ebrius amnis
Mutatis in vina vadis. Tibi naiades omnes
Nympharum stipatante choro famulentur eunti,
Munera certatimque ferant; *Sabrina* Smaragdos,
Et gemmas *Rutipina* litent tibi littora, quales
India non fœlix tulerit, vel divite concha
Legit *Ericthræi* populatrix turba profundi.
Festa Dies! Io festa Dies! sine nube serenus
Sol micet, & placido cœlum mirabile Sudo.
Rustica *Hyperboreus* permutet plaustra *Bootes*
Quadruiugis aurata Rotis, tremuloque refulgens
Culmine, *CROMELICAS* comitetur more curules.
Fœlix cui tanti patet indulgentia cœli,
Cuique coronatis assurgunt sydera stellis.
Cernis ut armorum Domini, Legumque Potentes
Stellarum in morem Phœbo egrediente Cubili
Acceptas posuere faces, Radiisque remissis
Protinus à tanto spondent sibi Lumine Lumen.
Aspice flammiferis ut formidabilis armis
Ordo Ducum cataphractus eat! stant agmine pulchro
Circumfusa cohors, & sparsa orichalca coruscant
Arma novas sparsere faces, queis obrutus excors
Phœbus hebet, tremuloque Dies obtunditur auro.
Purpurei venere Patres, venere * *Sigilli*

* Dom. Lisle; & dom. Keeblius.

Dilecti *proceres*, nec non venerabilis urbis
* *Prætor*, & undantes cives longo ordine circum
Coccineis rubuere Togis, habituque docebant
Quanta vere cundo Reverentia danda *CROMELO*.
Sic ab adorato redivivus funere *Phœnix*
Progreditur, cui mox rapidis per nubila pennis
Indigenæ gratantur aves, lætæque per auras
Suavia dulciloquis fundunt modulamina linguis.
Pacificæ sonuere Tubæ; steteratque per aulam
In Plateæ morem miles fulgentibus armis.
Quanta Patrum Iuvenumq; simul glomeramina densa!
Quanta puellarum fuerant, atque Agmina Matrum
In vultus conversa tuos, dum culmen honoris
Ascendis, patriique capis moderamina sceptri.
Hæc Pompæ simulachra novæ; moderatior at tu
Aerios plausus, fatui & suffragia vulgi
Despicis, & meritos tibi quos concessit honores
Anglia, concelas, dum vis privatus haberi
Qui cunctos præstans meritis virtutibus anteis,
Solis ad exemplum, qui fusis lumina terris
Dividit, oblitusque sui communia curat
Commoda, nec sibi sed mundo splendescere gestit.
O ter fœlices tali Rectore *Britannos*!
Qui non Imperium pacto quæsiverat auro

* Tho. Vinerus eques auratus, Civitates Prætor.

Mune-

Muneribus nec crevit Honos, virtutis abundans
Ambitionis egens, cui ſeſe purpura ſponte
Obtulit, & ſolus meruit regnare Rogatus.
Magne Parens validiſque caput ſublime *Britannis*
Accipe devotos animos, populumque volentem.
Omne tibi gentis conſpirat robur, & æquâ
Sorte tuo ſub jure timens latus horret utrumque.
Neſcio quid veri vulgata oracula ſpondent
Si muro cingenda novo peritura manebas
Anglia poſt magnam Regum ſtirpemque cadentem
CAROLIDUM, ecce novū circumfluus undiq; murū
Sufficit Oceanus tumidiſque hinc fluctibus undans
Indiſcreta tuæ lambit confinia Terræ.
Sic veterum quam ſint inania nomina Regum
Exemplis *OLIVARE* doces, dum prævenis ipſe
Regibus, & magnis, majora ſuperſtruis orſis.
Sed quo peccantem tranſegit devius error
Et tot tentantem infirmis, ſublimia pennis?
Nam licet Immenſo *Phœbus* mihi pectus hiatu
Pandat, & innumeris animet præcordia linguis
Deficerem infœlix tantis conatibus Impar:
Nempe *Sophoclæo* memorari digna Cothurno
CROMELI ſurgent præconia, tranſque remotas
Tethyos ambages, *Atlantæoſque* receſſus

Illum ſama loquax longe ſublimibus alis
Evehet, & patrio laudes inſcribet Olympo.
Ille Togæ Belliqueſator, ſi juſſerit arma
Arma velut ſeges illa virum *Cadmæa* reſurgunt,
Impletura novos florenti milite ſulcos:
Mars gladios, *Bellona* manus, *Tritonia* mentem
Inſtituunt, ſtreperiſque ſtruunt certamina turmis.
Si *Martem* ſævire vetat, *Mavorte* fugato
Lis fugit, & furiæ remeant *acherontis* ad umbras,
Sydereoque redit rurſum pax aurea fronte
Mæſtaque Brutigenæ diſpellit nubila genti.
Ille ſernavit ventos,nimboſque ſonoros,
Ille ducum domitor debellatorque duorum
Magnauimus Regum, qui pacem ſanxit ab armis
Victorique ſibi palmam, victiſque pudorem
Hamiltoniacis tulerat, cum *Scotia* tota
Tuedaq; lethiferos in nos armaverat Hoſtes.
Hic novus *Alydes* reparatam cladibus Hydram
Sub pedibus calcavit ovans, & *Apollinis* inſtar
Deprædatricem, & tot jugera ventre prementem
Innumeris tumidum *Pythona* Sagittis.
Ille Dies niveo noſtris ſignanda lapillo,
Hoſtibus illa Dies nigro Carbone notanda eſt
Quâ rubuit *Nemeſis* Procerum temulenta cruore

Et tanti perjere viri, totidemque Popelli
Millia *Cromelico* cecidere Piacula Ferro
Hoc orbis miratur opus, ſuperatque modeſtam
Tam facinus prægrande Fidem, quod novimus *Angli*
Nec tantum livor Potis eſt exſtinguere lumen.
Senſerat horribiles Trepidans *Lancaſtria* Turmas
Præſtonium rapidos & adhuc reminiſcitur enſes.
Nec *Marius* fudit tanto certamine *Cimbros*
Viderat aut *Marathon* tot ſtratos turbine *Perſas*
Miltiades dux cum diris concurſibus hoſtem
Stravit, & ingentem ſeplevit ſanguine Campum.
Illa monaſterii legum notiſsima ſedes
* Occidui tibi teſtis erit, teſtabitur ingens * Ang. Weſt-miniſter-Hall.
Aula *Caledoniis* longum decorata trophæis.
Conticeant tandem veterum deliria vatum
Nec ſic *Argolicas* claſſes, ſpoliumque *Pelaſgæ*
Pubis, & auriferum raptum de *Cholchide* vellus
Graiugenæ jactent, nova naſcitur *ANGLIA Cholcos*
Alter adeſt *Jaſon*, qui poſtquam Pellicis artes
Cantatæ vicit, Belli ſpolia ampla Tribunis
Velleribus graviora dedit, ſublimibus auctos
Et titulis toto vulgavit nomina mundo.
O quam te memorem! cui non antiqua Priorem
Vel ſimilem pepere, licet *Romana* vetuſtas

Heroas

Illum fama loquax longe ſublimibus alis
Evehet, & patrio laudes inſcribet Olympo.
Ille Togæ Belliqueſator, ſi juſſerit arma
Arma velut ſeges illa virum *Cadmæa* reſurgunt,
Impletura novos florenti milite ſulcos:
Mars gladios, *Bellona* manus, *Tritonia* mentem
Inſtituunt, ſtreperiſque ſtruunt certamina turmis.
Si *Martem* ſævire vetat, *Mavorte* fugato
Lis fugit, & furiæ remeant *acherontis* ad umbras,
Sydereoque redit rurſum pax aurea fronte
Mæſtaque Brutigenæ diſpellit nubila genti.
Ille ſernavit ventos,nimboſque ſonoros,
Ille ducum domitor debellatorque duorum
Magnauimus Regum, qui pacem ſanxit ab armis
Victorique ſibi palmam, victiſque pudorem
Hamiltoniacis tulerat, cum *Scotia* tota
Tuedaq; lethiferos in nos armaverat Hoſtes.
Hic novus *Alydes* reparatam cladibus Hydram
Sub pedibus calcavit ovans, & *Apollinis* inſtar
Deprædatricem, & tot jugera ventre prementem
Innumeris tumidum *Pythona* Sagittis.
Ille Dies niveo noſtris ſignanda lapillo,
Hoſtibus illa Dies nigro Carbone notanda eſt
Quâ rubuit *Nemeſis* Procerum temulenta cruore

Et tanti perjere viri, totidemque Popelli
Millia *Cromelico* cecidere Piacula Ferro
Hoc orbis miratur opus, ſuperatque modeſtam
Tam facinus prægrande Fidem, quod novimus *Angli*
Nec tantum livor Potis eſt exſtinguere lumen.
Senſerat horribiles Trepidans *Lancaſtria* Turmas
Præſtonium rapidos & adhuc reminiſcitur enſes.
Nec *Marius* fudit tanto certamine *Cimbros*
Viderat aut *Marathon* tot ſtratos turbine *Perſas*
Miltiades dux cum diris concurſibus hoſtem
Stravit, & ingentem ſeplevit ſanguine Campum.
Illa monaſterii legum notiſsima ſedes
* Occidui tibi teſtis erit, teſtabitur ingens
Aula *Caledoniis* longum decorata trophæis.
Conticeant tandem veterum deliria vatum
Nec ſic *Argolicas* claſſes, ſpoliumque *Pelaſgæ*
Pubis, & auriferum raptum de *Cholchide* vellus
Graiugenæ jactent, nova naſcitur *ANGLIA Cholcos*
Alter adeſt *Jaſon*, qui poſtquam Pellicis artes
Cantatæ vicit, Belli ſpolia ampla Tribunis
Velleribus graviora dedit, ſublimibus auctos
Et titulis toto vulgavit nomina mundo.
O quam te memorem! cui non antiqua Priorem
Vel ſimilem pepere, licet *Romana* vetuſtas

* Ang. Weſtminſter-Hall.

Heroas

Heroas numeret priſcos monumentaque volvens
Attoniti proceres jactet miracula mundi.
Te ſi inter priſcos genuiſſet *Roma* Dynaſtas
Mutaſſet tum Roma vices, vetereſque Quirinos
Nec ſub conſulibus tam longum hæſiſſet avitis
Quæſitura novos Te *PROTECTORE* Triumphos.
Diſce ergo ampullas, poſitaſque remittere faſces,
Nec *Caput* ulterius te ſic jactaveris orbis,
Terrarum *Caput* ecce novum, modo ſaxit Olympus
Illius auſpiciis naſcens Reſpublica creſcat
Corpus in immenſum validiſque reviſet Eoum
Puppibus, ignoti reſerans penetralia mundi.
Principe te tales fas eſt ſperare Triumphos;
Cui ſocias *Bellona* manus, *Mavorſq;* lacertos
Commodat, & totam prudens *Tritonia* mentem.
Ad *Quem* ceu centrum tot blanda chariſmata, & altæ
Virtutum dotes cœleſtum cura reduxit.
Quæ tua ſit pietas, quæ ſit clementia narrent
Hoſtes, qui veniam *toties* peccantibus offers;
Et pœnæ parcus tantum terrore gubernas.
Senſerat ah quoties Tranquillum turbidus *Anglus*
Cujus charus amor Patriæ, Pietaſque propinquis
Defenſiſſe fuit non extinxiſſe *Britannos*:
Nec ſecus ad noſtras Bellator cogeris oras

Quam

Quam Tigrys Mater catulis ſuccincta tenellis
Sæva per invito fertur venabula ſaltu:
Illa quidem (obſtaret niſi ſors ſenſuſque ſuorum)
Ocyus in turmas, circumſtantumque furores
Irrueret, trepidoſque vorax ſub dentibus hoſtes
Contereret, ſed prolis amor crudelia vincit
Pectora, & in media catulos circumſpicit ira.
Sic hoſtes armis, meritis ſic mollis amicos:
Pignora, ſic animo genitor dilecta benigno
Format, & offenſi naturam ſponte remittit
Si renuant conſulta ſequi, pietate paternâ
Increpat, et ſtrictum facilis clementibus urget
Legibus Imperium, donec moderamine ſenſus
Molliat, aut pravos inflectat verbere mores.
Quid loquar ut plebi placidas porrexerit aures?
Grataque ſupplicibus dederit, non ille retorto
Adſpexit lachrymas, aut verba rogantia vultu,
Sed mitis Princeps dextra clemente levavit
Servavitque fidem Pactis, nec polluit Iræ
Sævitiâ faſces, nec civem fronte ſuperba
Reſpuit, afflictam crucians terroribus urbem.
Arma petant proceres, ſola feritate timendi,
Munimenta locet gaviſus cæde Tyrannus
Militis & trepidas cingat legionibus arces.

Hæc

Hæc illi faciant, tibi non ſors illa furentum
Convenit illuſtri patriæ Paciſque *Patrono*.
Ipſe Satellitio tantum ſtipante tuorum
Conſilium prægrande petis, nec inutile quæris
Ferri præſidium, Patrio munitus amore.
Nempe Tibi pietas externis indiga telis
Te clypeo, parmaque tegit, nec quærit aſylum
Simplicitas candorque placens, licet improbus ora
Solvat, & inſanis ructet convitia Buccis.
Stabis ovans ſanctis columen, validumque piorum
Tu munimen eris, quamvis compage *Typhoëus*
Exiliat lacera, ſævaque immugiat Ætnâ
Enceladus, imi Furiaſque excuſſerit *Orci*.
Scilicet adverſis virtus notiſsima rebus
Nullis mota minis, animis audentior ibit,
Et velut ætherio colluſtrans lumine terras
Stellliferi Regina chori dicteria ſpernit
Latrantum furioſa canum; ſic mentis ab arce
Fortunâ major, ſublimi vertice ſurgens
Altior invidia, mortales deſpicis iras,
Vanaque ſecticolæ contemnis ſcommata Turbæ.
Surge Pater *Britonum*, noſcatque remotior orbis
Quantum equìdem ſpes noſtra tuo luſtrata reluxit
Ingreſſu, qui poſt tot diri incommoda Belli

An-

Antiquas gaudes Patriæ reparare ruinas,
Vulneribuſque novam labefactæ reddere formam.
Hinc marceſcentes Lauro renovabis honores
Reſtitueſque ſuis Academica jura Trophæis.
Surgite ſopitæ quas ignorantia Nymphæ
Obruerat, cæciſque diu tumulaverat umbris;
Surgite virtutes, fœcundaque pullulet ætas
Proventus viſura novos. Te præſide priſcis
Pieridum Fons ille fluet torrentior undis
Æmulus, auriferaſque *Tagi* ſuperabit arenas.
Tum *Cirrham* pius horror aget, vicinaque *Delphos*
Oxoniæ reſponſa dabit; tum nectare dulci
Alma Parens gravidas tibi *Cantabridgia* Mammas
Porriget, attonitis referens Oracula terris.
Vos duo *Brutigenæ* fulgentia lumina ſpheræ
Sydera terrarum, geminæ gaudete *Sorores*.
Jamque agite *Æonio* nova carmina pangite plectro,
Lætitiæque, alacres, velut argumenta futuræ
Tollite victuris ventura in ſæcula chartis
Principis & gravido laudes tentate cothurno.
Accedant *Paphiæ* charites miſtæque choræis
Naiades exornent *Acheloia* cornua Nymphæ
Hi de jure tuis meritis, debentur Honores:
Nempe tuæ O *Præſes*, oculatum mentis acumen

Alloquitur illuſtriſſimum nec non indulgentiſſimum literarum P[illegible]tronum dom. Præſidem *Henricum Laurentium*.

 Luſtra-

Lustravit *Triopodum* tenebras, & *Apollinis* instar
Errorum latebras meliori luce retexit.
Scilicet ad vultus venerandos *Dagonis* instar
Sectarum *Simulachra* cadent, ibuntque retrorsum
Dogmata ad antiquum penitus detrusa *Barathrum*,
Quæque *Polycephalis* repserunt *Schismata* Turmis.
Vindice te, *Augustam* non deprædabitur *Ædem*
Sacrilegus, rapidisve teret *Sacraria* plantis.
Non ex Relliquiis delubrorumve ruinis
Perdita ditescet Pubes, Populique miselli
Non tunc (ære graves alieno) marmora jungent
Nobiliora, Luto; non Integumenta Sacellis
Semirutis rapient, Campanarumque tot annos
Sacra, prosanato consundent æra, metallo.
Scilicet *Hesterni* pejori à parte *Senatus*
Hoc fuit in votis Sacrati oracula cultus
Perdere, & extincto *Decimalia* tollere *Clero*.
Sed superi vetuere minas; tu duxque futuri
Anxie prodigii, cœptis dementibus obstas.
Illa * *Monasteriis* stabit pulcherrima moles
Te duce, perstabit subnixa *Ecclesia* claustris
In scopuli morem ringentibus undique sectis
Cassaque *Kirkikolo* circumlatrante Popello.
Judice te, Leges consultaque fortius ibunt

* Vulgo Minsters.

Subsidio

Subsidio cum miles erit, positisquè parumper
Ensibus,ediscent trabeati jura Tribuni,
Cum decus antiquum mox *Anglia* tota resumet,
Et *Parliamenti* diplomata prisca futuri
Ad nova purpures suadebunt vota *Quirites.*
Tum tibi ceu Patriæ *genio* concordibus actis
Patricii applaudent proceres ; uno ore sonabit
Concilium prægrande Decus, recoletque Parentem,
Osque tibi sacrum sculpto venerabitur auro ;
Os illud cujus loquitur Facundia, quicquid
Vtile finitimis ; quicquid conducat honori
Nostrorum *Britonum,* quos tutelaribus armis
Asseris, & salvos legum munimine cingis.
Sic de te Armipotens *Pallas* linguæque Magister
Mercurius certamen habent, & Iure reposcunt,
Ceu septem quondam populis discordibus urbes
Certarunt pro *vate* suo. Quid acumina mentis ?
Quid referam Eloquii dotes ? orisque liquentem
Melliflui *Suadam* ? cui non *Amphiona* quisquam
Comparet *Æonios* modulantem carmine succos,
Lapsaque morigeris sistentem flumina Nymphis.
Auditum stupuere senes. *Quæ* pondera rerum
Creverunt sermone tuo ! nec dignus usquam
Anglia Patricio meminit se more loquutam.

Eloquio nec ſolus ades; reparabile gentis
Conſiliis ordiris opus; nec mole laborum
Tantorum ſuccumbis iners; Quis pervigil *Argus*
Lumine centeno, *Briareus* vel mole ſtupendo
Tot ſimul objectis poterit confligere rebus?
Dividis ingentes curas, teque omnibus unum
Objicis invictum exemplar; ſic celſus Olympi
Imperialis apex ſublimi culmine nixus
Perpetuum nullâ temeratum nube ſerenum
Celſior erigitur pluviis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & nigra tonitrua calcat.
Sic tu dux patiens per tanta negotia liber
Emergis, ſimiliſque *Tui*; tu Norma Regentum
Et novus Anglorum *Xenophon* molimina rerum
Morigerum ceu flectis Equum; tu tantus in armis
Arbiter ingentes claſſes, acieſque gubernas
Exiguæ ceu membra Domus. Quos Sydus ab oris
Miſit *Hyperboreis* placata fronte Miniſtros
Excipis; Auguſtæ Reginæ nuncius actis
Unde tuis gratetur adeſt. Reſponſa *Batavus*
Accipit infœlix & caſſos ventilat enſes.
Quid loquar attonitum tantis ſucceſsibus orbem
Et tecum validas ineuntes fœdera gentes?
Omnibus indulges tu juſta petentibus, æquum

Oyci-

Oycius admiſſum præbes; patiturque repulſum
In conceſſa rogans, & quæ ſperare decorum
Non foret, aut quicquid fuerit deforme mereri.
Ipſe dabis quicquid promittis, conſona linguæ
Mens tua vulgatiſque inſunt oracula dictis.
Unde ſalutatum te accurrit longior orbis.
Magnus adeſt *Venetus* Legati & nomine tanti
In tua concinnas nectit præconia linguas.
Tu quoque *Borbonii* virgo caſtiſsima ſceptri Burdegallia.
Exemplum ſignas Fidei, paciſque futuræ,
Ad Protectoris dum vultus, poplite flexo
Volueris, emiſsis ineuns pia pacta miniſtris.
Hinc Pater *Alonſo* canis venerabilis annis
Sollicitat longam ſolidatque in ſæcula Pacem.
Inde ſuæ patriæ, & latialis gloria linguæ
* *Luſitanus* adeſt ut Regni fœdera tanti * Portugalliæ Legatus γ. ϛ.
Sanciat *Heſperio* performidanda *Philippo*.
Regius ille quidem Princeps, Regiſque propago
Legati non ſpernit opus, non tædia, Regni
Moliri laceras nec dedignatur habenas.
Stemmate nam magnus, trabeis ſublimis, & armis
Maximus à geſtis nomen memorabile avitis
Latius extendit propriis, generoſius altam
Virtutem titulis, titulos virtutibus ornans.

Natu-

Naturæ ceu Norma foret mirabere pulchram
Corporis augusti speciem, solidique profundum
Pectoris Eloquium; quem si vel Prisca tulisset
Ætas, grajugeno non posthabuisset *Homero*.
O fœlix nostram Legato in Principe gentem
Fœlicemque magis te Protectore *OLIVARO*!
Tu Bello tu Pace potens, vi *Fulvius*; arte,
Instrueris *Fabius*; verâ pietate *Metellus*;
Tuique repentinos extinquis in æquore motus,
Consiliisque premis *Batavæ* molimina terræ.
Heu malefida cohors! quæ vos animavit *Erynnis*
Torva lacessitos in Bella ciere *Britannos*,
Per quos sic vestris *crevit concordia Rebus*?
Heu nimis ingrati! primæ cunabula causæ
Voluite, cum teneris Respublica vagiit annis,
Altricesque nurus toties ploraverat *Anglos*.
Quantula tum fuerat paupercula turba popelli
Cum ducis *Alviaci* pubes metuenda Tyranni
Ingruerat, fusis terramque umbraverat alis?
Ergo infœlices eheu deponite fastus
Prætumidi, veteres Protectoresque *Britannos*
Noscite vos humiles tandem, notosque timete.
Sed quid ego surdis canto, monitoribus asprîs
Consiliumve fero, non argumenta sed enses

Vibrandi

Vibrandi, ut lites quas non de jure togatus
Dissolvat, miles ferro discendere discat.
Ruperat optatæ jamdudum fœdera Pacis
Belga viris, ratibusque potens, spretoque *Senatu*,
* Legatisque togæ, numeroso in Bella ruebat
Remige, & expositis umbrabat cærula velis.
Nec nunc extremis Hostis quærendus ab *Indis*,
Longa nec *Hesperii* revocanda injuria sceptri;
Sed vicina placent, propioraque lucra *Batavis*,
Anglia dum petitur pinguisque *Britannia* tantum
Latranti Buccella Gulæ; sine mente Colossos
Miles avet, geminosque sibi suffusius *Indos*
Suggerit, auriferæ spe sublactatus arenæ.
Ambitus immodicus longæ per viscera terræ
Ille fuit, tantique potens fiducia cœpti.
Nec lituis opus est, nil clasica rauca moratur
Navita, pellectus tantæ dulcedine Prædæ.
Innumeræ crevere manus; vici, oppida, & urbes
Conscriptis fremuere viris, nec densius actæ
Funera post pugnæ corvi nigrantia tollunt
Agmina carnivoris fodiuntque cadavera rostris.
Nec terris stat solus honos, dum flumina surgunt
Et laxis dominantur aquis: hinc *Mosa* superbit
Cum *Fleva*, & bifidi turgescunt cornua *Rheni*,

* Illustriss. dom Sanctus-Ioannes & dom. Gualterus Stricklandius.

Sic

Sic Pelago nova Caſtra natant: ſic lignea moles
Textelicis incumbit aquis,miroque putares
More, rates peperiſſe rates numeroſa propago
Tanta fuit *Thetydi*, nemorumque tot incrementum.
Nec modo quæ à gemino tulerant commercia mundo
Sufficere rates, alias ſed condere puppes,
& Bellatrices juvat inſtaurare carinas.
Nec differre placet tanti molimina cœpti
Belgarum dominis, ſed mox concordibus auſis
Claſsibus arma parant, claſſeſque opulentius armis
Inſtituunt, opulenta ſuis quæ cuderat oris
AMSTELA Batavicæ moles celeberrima gentis.
Concurrunt ad cœpta Patres, ſtant fœdere firmo
Unanimes populi, ſurguntque in Prælia paſsim
Oppida, & aggeſtum promunt Æraria cenſum.
Tuque Parens merſæ *Uliſsinga* uberrima terræ
Erigeris, ſæviſque animis ingentibus, *Anglis*
Excuſſa antiquis, Dominoſque oblita *Britannos*.
Brillaque Bellipotens mutatis turbida habenis
Egreditur; *Medii* turgent molimina *Burgi*
Bellica, & aerias attollit *Rottera* turres.
Nec minis *Angliacis* audacia gliſcuit oris:
Nempe ubi *Batavicæ* fatalia murmura Claſsis
Adventare *Statum*, ſpretæque injuria gentis

Ex-

Excuterat longo validos torpore *Britannos*
Ocyus unanimes confœderat *Anglia* vires,
Et toties tellure potens, victrixque profundo
Erigirur, fœcunda novos paritura triumphos.
Nec mora; jam ſylvis ſævæ incubuere ſecures
Et ferri ſedanda ſitis. Iam luſtra ferarum,
Et memora alta cadunt, & quæ vivaria Brutis
Illuxere, viris jam caſtra natantia ſurgunt.
Tete nec *Elthami* modico de colle tumeſcens
Protegit annoſi dudum Reverentia Trunci.
Wimbletone tibi imberbis nil profuit ætas
Nil pubeſcentes prima in lanugine quercus,
Magnificam quamvis *jactas* ad ſydera molem
Florida finitimis *jactans* habitacula Damis.
*S*ic colitur commune Bonum, dum pectore læto
Magnanimus * Dominus ſtructura ingentior omni
Publica privato præponit commoda damno.
Eſculus hinc, Illinc abies, ulmoſque viciſsim
*S*cinditur, & tremulis peridonea Fraxinus haſtis:
Tuque *S*oli, ſylvæ quæ decus *Dodonia* quærcus
Occidis, & poſitis ſubmiſſa cacumina terris
Findis humum, foſſaque aperis tellure ſepulchrum,
Vnde brevi ſurgens ſublimibus armamentis
Auctior æquoreis ramos exporrigis undis.

* Innuit dom. Lambertum

O ter fœlices, fortunatosque *Britannos*
Indutis *Natura* quibus commilitat armis,
Dum mutant elementa vices, translataque juncto
Sylva coit Pelago, nostris ut adorea susim
Pullulet, & *Britico* sylvescant *Serta* Profundo.
Nec sylvis sævire sat est lignaria proles
Nec clasi suffecit; aquæ majora reposcunt
Robora, majoresque manus. Hinc altera pubes
Abdita secretæ scrutatur viscera terræ,
Eruit, & cæcis ferrum lethale cavernis,
Tormenta ut rapidis *Cyclopum* cocta caminis
Conflet, & indomitum domitura Tonitrua martem.
Nec jam materiem Belli segetemve necesse est
Longinquis quæsisse Iugis; huc ora *Britanni*
Vertite ad altricem præbentem pabula matrem.
Illa metalliferis *Caledonia* nostra Fodinis
Argenti ferrique ferax, quæ dona ministrat?
Dicite montanis nemorum peridonia Sylvis
Copia quanta salo? Quot celsa cacumina passim
Consita *Hiberneos* surgunt superantia saltus.
Clarior ignivomam nostra *Anglia* transtulit *Ætnam*
Et *Latiæ* portenta plagæ. nova *Derbia Lemnos*
Nascitur Angligenis, *Steropesque* aliunde stupemus,
Et Brontes *Breminhame* tuos, rutilosque ministros

Sæva

Sæva *Cyclopæis* peragentes Pensa lacertis.
Quis strepitus? quis clamor ovans? conamina quanta
Artificum surgunt, & munia nota facessunt;
Dicite *Belingi* qui nostris littora Portus
Unde atavis *Billinge* tuis memorabile nomen
Luxit, & antiquis excrevit Ianua saxis.
Dicite *Southriaci* qui nostis compita vici
Vel plateas *Londine* tuas qua mole superba
Tollitur, & celso *Turris* nitet æmula cœlo
Turris Io! veterum vastum munimen avorum
Gazophylax, Ferrique potens! proh Saxa superba
Cæsareæ monumenta manus, non *Mausolæo*
Magnifico, *Rhodio* vel postponenda Colosso.
Nec solum *Iliaci* per splendida mœnia *Bruti*
Nautarum valuere manus, sed longius auctæ
Per Portus *CORNUTE* tuas, qua *Thamesis* ingens,
Nautica *Nigreoli* circundat littora *Muri*.
Apparat egregias *Radcliffia* dura Rudentes,
Perque angiportas & compita Curva *Vapingæ*
Expedit ignivomos vulcania secta labores,
Desudatque novis *Lipare* latebrosa caminis
Pyrobolos conflata graves, quibus alta refringit
Robora, & excussis tabulata trementia transtris.
Sic, labor, & sparsis aucta est industria terris

Alloquitur dom. Billingum in exercitu cohortis signiferum.

 Com-

Communique manu, simul & communibus ausis
Nec *Medii* tantum per propugnacula *Saxi*
vel Portus *Essexe* tuas, vel littora *Cantî*
Qua *Gravesenda* meat, qua *Roffia* Ponte superbit,
Vel formidandam jactans **Dorobornia* molem
Despicit adversi minitantia castra *Caleti*;
Sed per Finitimos vicos, urbesque remotas
Nautarum crevere manus. *Ipsuechia* testis
Prodeat, & scriptas numeret *Norfolcia* Turmas.
Dives opum ratiumque potens *Portsmuthia* turget
Bristolicique novis portus fremure carinis
Scilicet immensum immenso molimine cœptum
Tollitur omnigenis, & naũta arcessitur oris
Solis ubi radii septem convexa *Trionum*
Occasusque beant, ubi ditior *Orrea* surgit
Metaque *Barvicum* validis Boreale *Britannis*
Rursus ad occiduas si mentem adverteris oras
Qua rapidi dudum posuere *Cubilia* passim
Durotriges, sociis vel qua *Devonia* Campis
Occiduique sedet Retrix *Pleumosia* Ponti;
Et montem *Michale* tuum *Cornubia* longa
Porrigit extremisque solum disterminat, undis.
O ter fœlices unita pube *Britannos!*
Sydera dum *Boreæ* coeant *australibus* oris

*Dom. vice-chiliarcha Kelley arcis hujus gubernator.

Vulgo New-castle teste Ptolomæo.

Hum-

Humbarique ſuo *Londini* ampliſsima Nympha
Iuncta, maritatis Patriæ commilitat undis.
Tuque Caledoniæ gens tanti conſcia cœpti
Exultas, Patriis nec *Lethi* deficis auſis.
Letha viris ratibuſque minax, cui Præſidet unus
Fenwickius fœlix admotis mollis habenis
Et quam *Wilkeſii* cunctis ſervaverat auſis
Sedulitas, raro & cedens vigilantia ſomno.
Letha minax nautis longum per cærula miſsis
Auſpiciis *Atkins* tuis ; commune tuorum
Hoſpitium, & communis amor. Conſtantia cujus
Et ſyncera fides patriæ ſat cognita terræ.
Macte animi ! virtute tutâ ſublime reſurgas;
Quis mercaturas exercuit indole tali ?
Dicite *Lethicolæ* nautæ mage nobilis an mens
Liberiorve manus ? qui ceu libamina ponto
Sacrificavit opes, qui à diris damna *Batavis*
Tot tulit, à rapidis & tot diſpendia *Gallis*,
* *Gabrontoviaci* circum confinia Ponti.

Leitn. cujus gubernator nobiliſsimus, Georgius Fenwick, & Vicechiliarch. Timotheus Wilkeſius.

* Flamborough head.

Tandem Fama volens ſubitis trans æquora pennis
Per *Geſſoriacum* littus, *Britonumque* per oras
Nunciat hoſtiles metuendo Robore naves
Non procul obſtantum religari ad vincla rudentum.
Nempe ubi bis diri eſt expertus fata duelli

Trompi-

Trompius excandens nil primis territus ausis
Irruit in pelagum cæptisque furentibus instat
Infœlix, aliæque struit fundamina pugnæ,
Brutigenumque premens centenâ classe profundum
Pandidit in medio dominantia carbasa DUNO.
Non aliter Taurus solitis depulsus ab arvis
Viribus assumptis alia in certamina tandem
Multa movens redit, & medicatis clunibus instat
Jam pede jam cornu melior, raucumque remugit,
Ardua terribili provocans armenta Duello.
Prima mali novitas vicinos terruit *Anglos*
Sed vetus extemplo redit in præcordia virtus,
Horrendasque rates Batavorum mentibus æquis
Vociferi spectant, & læta celeusmata tollunt.
Nec mora; presenti committunt carbasa vento
Unanimes, causamque DEO; de littore funes
Solvere, & excussos Rector laxare rudentes
Imperat; obsequii compos neptunia pubes
Parat, & immensas velorum præparat alas,
Antennasque leves; Rostris spumantibus æquor
Stridet, & innumeras *Phocæ* stupuere carinas.
Tandem depulsa nigræ caligine noctis
Postera lux totum radiis patefecerat orbem.
Inde *Catascopio* vicina per æquora misso

Quiquē

Quique Rates pafsis velis præverterat omnes
Iam *Batavos* inftare monet. Fortifsima proles
Saxonidum erigitur, nec non certaminis horam
Pronior anticipat, votifque furentibus haurit.
Jamque parum fpatiis Pelagi diftant ambæ
Ingruerant acies; hinc *Belga* * Leonibus inftat
Vngue fagittiferis; pictis panduntur hiatus
Terribilefque jubæ roftris; ceu vultibus ipfis
Terrerent validos debellarentque *Britannos.*
Illinc *Anglorum* puppes infignibus ibant
Quæ *Crucibus* junxere *Lyras*; ifto omine tanquam
Lætæ dura pati, placidique choreumate plectri
Afpera in irato mulcere pericula ponto.
Inter Brutigenas * *Rectrix Refolutio* puppes
Primitus emicuit, velut inter Luna minores
Cœlorum faculas fomno nictantibus aftris.
Illa Duces fummos, *Blachum Monachumque, Deanumq;*
Belligeros portavit ovans & mole tumebat
Illa armis, & fœta viris tractantibus arma
Septuaginta vomens patulis incendia portis
Terribili tonuit per cærula falfa fragore.
Exoritur clamorque virum, gemitufque cadentum
Flebilis, & fparfo jacuere cadavera ponto.
Nam jam prima cohors ratium velut agmine facto

* Infignia gentis.

Infignia noftratum.

*Prætoria vel Admirallis.

Sulphureos

Trompius excandens nil primis territus ausis
Irruit in pelagum cæptisque furentibus instat
Infœlix, aliæque struit fundamina pugnæ,
Brutigenumque premens centenâ classe profundum
Pandidit in medio dominantia carbasa *DUNO*.
Non aliter Taurus solitis depulsus ab arvis
Viribus assumptis alia in certamina tandem
Multa movens redit, & medicatis clunibus instat
Jam pedè jam cornu melior, raucumque remugit,
Ardua terribili provocans armenta Duello.
Prima mali novitas vicinos terruit *Anglos*
Sed vetus extemplo redit in præcordia virtus,
Horrendasque rates Batavorum mentibus æquis
Vociferi spectant, & læta celeusmata tollunt.
Nec mora; presenti committunt carbasa vento
Unanimes, causamque *DEO*; de littore funes
Solvere, & excussos Rector laxare rudentes
Imperat; obsequii compos neptunia pubes
Parat, & immensas velorum præparat alas,
Antennasque leves; Rostris spumantibus æquor
Stridet, & innumeras *Phocæ* stupuere carinas.
Tandem depulsa nigræ caligine noctis
Postera lux totum radiis patefecerat orbem.
Inde *Catascopio* vicina per æquora misso

Quiquē

Quique Rates paſsis velis præverterat omnes
Iam *Batavos* inſtare monet. Fortiſsima proles
Saxonidum erigitur, nec non certaminis horam
Pronior anticipat, votiſque furentibus haurit.
Jamque parum ſpatiis Pelagi diſtant ambæ
Ingruerant acies; hinc *Belga* * Leonibus inſtat
Vngue ſagittiferis; pictis panduntur hiatus
Terribileſque jubæ roſtris; ceu vultibus ipſis
Terrerent validos debellarentque *Britannos*.
Illinc *Anglorum* puppes inſignibus ibant
Quæ *Crucibus* junxere *Lyras*; iſto omine tanquam
Lætæ dura pati, placidique choreumate plectri
Aſpera in irato mulcere pericula ponto.
Inter Brutigenas * *Rectrix Reſolutio* puppes
Primitus emicuit, velut inter Luna minores
Cœlorum faculas ſomno nictantibus aſtris.
Illa Duces ſummos, *Blachum Monachumque, Deanumq;*
Belligeros portavit ovans & mole tumebat
Illa armis, & fœta viris tractantibus arma
Septuaginta vomens patnlis incendia portis
Terribili tonuit per cærula ſalſa fragore.
Exoritur clamorque virum, gemituſque cadentum
Flebilis, & ſparſo jacuere cadavera ponto.
Nam jam prima cohors ratium velut agmine facto

* Inſignia gentis.

Inſignia noſtratum.

*Prætoria vel Admirallis.

Sulphureos

Sulphureos vomuere globos, hinc *Belga*, ſed illinc
Tollitur indigeno dominatrix Anglia *DUNO*.
Profuerant litui minimum, confuſa tubarum
Murmura merſa ſilent, & claſsica victa faceſſunt.
Ignea vibratis revocaſſent forte favillis
Ereptum tormenta diem, niſi pulveris auras
Nubila texiſſent, ut nox fuit illa dieſve
Ambiguum, quæ tot nautas vitalibus auris
Suſtulit, æterno componens lumina ſomno.
DEANUS ut adverſam videt increbeſcere claſſem
Aligeris dat vela notis, propiorque *Batavis*
Adſtitit ad lævum tranſverſis Brachia coſtis.
Prima quidem pugnæ facies (quam ſera dolebit
Poſteritas præſenſque gemens reminiſcitur ætas)
Terribilis, triſtiſque fuit, quæ turbine diro
Abſtulit, & primis *Deanum* deleverat auſis.
Scilicet admoto ſurgens animoſior hoſti
Tela inter, præcepta ſuis animoſa miniſtrans,
Occidit intentus perituris hoſtibus Illo
Nil minor incumbens ſtratis qui victor *Achivis*
Et *Spartæ* patrias ſancivit ſanguine metas.
Non impune tamen *Batavi* ſenſere cadentem
Nec comites O *DEANE* tui; ſine Principe nauta
dum credit ſupereſſe nefas, violentius hoſtes

Involat attonitos, ceu quos præſentia vivi
Auxerat & magnis toties animaverat actis,
Tangeret exſtincti ſenſus. Sine corpore credas
Proſtratum pugnâſſe ducem, tacitiſque furentes
Motibus inſtigaſſe ſuos, mentemque per ipſos
Erraviſſe diu poros animumque cadentis
Rurſus ab extremo credas rediiſſe feretro.
Siccecidit fœlix heros, morienſque ſuperbum
Pertulit ad manes venalem morte triumphum:
Et quanquam medios *Libitina* abruperit auſus,
Ille ſatis vixitque ſuper, nec gloria lethi
Nobilior noſtris poterat contingere votis.
Interea *MONACHUS* fato turbatus amici
Ingemit infœlix, & formidabile fervens
Vindictam meditatur atrox, claſsiſque propinquæ
Interitum, & cunctis molitur fata *Batavis*;
Nec tanto leviora litat Libanina Buſto.
Surgite ait validiſque omnes incumbite cæptis
Unanimes ſocii; nemo hoſti parcere quærat
Nemo ſibi, ſummam ſed Belli credite palmam
Vincendo meruiſſe mori, vitaque ſolutâ
Nil patriæ debere ſuæ; ſic fatus in hoſtem
Irruit, & gemino coſtas tranſverberat ictu.
Tum litui fremuere vadis, & claſsica rauca

Attonitis permi sta tubis, tormentaque passim
Bellica sulphureis vomuere tonitrua scloppis.
Vicinis labefacta jugis tum lurida tellus
Mugiit, obductis & torpuit aura tenebris.
Tum gelidas sedes motique cubilia *Glauci*
Mutarunt, tacuere canes tibi *Scylla*, Charybdis
Horruit, & trepidare suis *Tritonides* antris.
Innumeræ coiere rates quibus impete vasto,
Mole vel immensâ laterum non ulla tulerunt
Sæcula prisca pares: non talia Robora *Xerxes*
Vidit *Erecthæas* cum debellaret *Athenas*
Et Graias speraret opes. Non tanta virorum
Agmina, non turmas, nec tot Bellantia rostra
Intulit Eoi glomerata potentia *Pori*
Pellæo Iuveni, *Lybiam* qui cædibus omnem
Straverat, & totum sub leges miserat orbem.
Nempe velut sparso ceu propugnacula ponto
Indiacæ venere rates, credasque revulsas
Cyclades, aut rupes concurrere rupibus ipsas;
Tantæ molis erant; dubitesque an *Caucasus* ingens
Erret, an æquoreis natet *Apenninus* in undis?
An turbare Polum, superumque invadere solem
Audeat innumeris *Briarea* turba lacertis.
Non tamen his visis animum desponderat *Anglus*

Sed

Sed magis erigitur ſpem majoremque tumeſcens
A prædâ majore capit; tam nobilis ira
Anglo inerat, fœlixque ſuæ fiducia cauſæ.
Et jam tela volant, atque atris obſita nimbis
Pyroboli ignivomas ſpirant per tranſtra medullas
Quæ ſcapulas, quæ crura terant; adverſa reſurgunt
Robora, & alternæ coeunt in prælia naves.
Ancipiti dubioque metu, nunc æqua *Britannis*
Mox Batavis *Bellona* ſtetit, vicibuſque reverſa eſt.
At poſtquam dociles habileſque capeſcere pugnam
Anglorum claſſes immenſa mole *Coloſſos*
Aggreſſæ, tum nulla mali, tum nulla furoris
Longum aberat facies. Flammatos depluit ignes
Mulciber in cædem duplicem, laterique cohæſit
Tum latus,in fœlix, & roſtra crepantia roſtris.
Parcarum pro ſæva dies! proh maxima clades!
Ambobus, longo vix dum reparabilis ævo!
Iam manibus junxere manus, atque enſibus enſes
Inſandâ virtute truces, multique perempti
In tranſtris cecidere ſuis; cruor altus ubique
Spumat, & obducti concteto ſanguine fluctus;
Et quas *Harpagonum* traxerunt ferrea vincla
Has prohibent jungi conferta cadavera puppes.
Semianimes alii vaſtum ſubiere profundum

 Hauſe-

Hauſeruntque vadi permixtum ſanguine cœnum.
Hi nudi repetunt fluctus,& Lodicum egentes
Involvunt laceris morientia corpora velis
Morte triumphantes, queis tot tabulata feretrum
Nobile, & immenſum ſtetit *Amphitrite* ſepulchrum.
Ite triumphales,cœloque aſſurgite,fuſo
Sanguine qui virides peperîſtis in æquore palmas
Auxiſtiſque decus,mediaque in morte levâſtis
Tempora, roſtratis circumradiata Coronis.
 Unda nec ad tantum ſuffecit ſola ruinam,
Ignis adeſt, cladeſque novas heu cladibus urget.
Per nemora undarum, & per lignea Caſtra Profundi
Perque rates *Batavas* volitat *Volcania* Peſtis
Exitio damnoſa novo, gliſcitque per undas,
Fœtaque conglomerat concepto incendia vento.
Dicite vos Nymphæ, vaſti Quæ, plana profundi
Indigenæ colitis, quæ fata horrentia nautis?
Quæ ratibus damnoſa Lues? cum ſævior ignis
Fomite ſulphureo, mixtoque bitumine vivax
Tum pice, tum liquidis rapiens incendia ceris
Tanta per attonitum ſpargebat Funera Pontum.
Necnon Oceani Nymphæ ſtupuere favillas;
Amburique ſuis metuit *Neptunus* in undis.
Hic recipit fluctus extinguat ut æquore flammas,

Hi ne mergantur, tabulis ardentibus hærent,
Et gemini tandem ſubeunt diſcrimina Fati.
Pars tentabat inops perituram invadere Pinum
Et reliquum ſervaſſe ſui; pars naufraga tantum
Merſuris exſtabat aquis, totidemque vidiſſes
Quot fluctus fuerant, ruere atque irrumpere mortes.
Hinc clavi, Tranſennæ illic, mutiliſque Phaſelli
Epidromis, per ſalſa natant: Retinacula quærit
Anchora, & excuſſo jactatur ſuppara malo.
Iamque rubeſcebat radiis mare veſpertinis,
Noxque repente aderat pelago nigrantibus alis:
Et fœlix nox illa fuit; nam ſi modo *Titan*
Se non à trepido tunc ſubduxiſſet Olympo.
Exſtinctas totas claſſes, laceraſque carinas
Vidiſſet cœleſte jubar. *S*ed Rector Olympi
Præſentem intendens tenebris abrumpere pugnam,
In nova paſſuros ſervavit fata *Batavos*.
Ceſſavere duces; *Batavæ* pars maxima claſsis
Terga dedit, pars merſa mari, pars altera capta
Agnovit dominos Fatis melioribus *Anglos*
Cautius aſt aliis mens ſe ſubducere damno
Igne viam monſtrante fuit, littuſque carinis
Quærere *Textelicum*, patriaſque appellere portus.
Hoc erat in votis. Sed quis decreta TONANTIS

Arti-

Artibus elusit: sequitur vindicta volantes
Et premit à tergo. Sic quos servaverat ignis
Tempestas violenta tulit. Nam Tergora *Duno*
Cum fugitiva dabant, palantibus æquore toto
Æolus insurgens, & rupto è carcere venti
Terribiles fudere minas: Tum cærula passim
Vociferis fremuere vadis; tum quassa carinis
Transtra, repercusso & convulsa sedilia velo,
Fractaque conigeri ceciderunt pondera mali.
Inde labant cùnei, tabulis longumque revulsis
Rima patet, panditque viam dominantibus undis.
Totaque per bibulas admittitur unde lacunas.
Utque *Gemiscentes* fundunt suspiria venti
Sic cœlum *Illachrymat*; fato graviore procellas
Imbribus agglomerans, laxatis nempe fenestris
In Pontum credas totum descendere cœlum
Atque itidem in cœlum tumefactũ ascendere pontum.
Quid referam mersas classes, *Syrtesque* repletas
Stragibus, & cæco cumulatos gurgite truncos.
Tunc non cærulei pelagus glaucique coloris
Sanguinei sed totus erat: *Thetis* ipsa ruebat
Humano temulenta mero; tunc agmine longo
Convenere vagi prædatrix turba profundi,
Sanguine cum Saturi pisces, per salsa chordas

Du-

Duxere, atque avidæ rapuere cadavera *Phocæ*.
Proh fati rerumque vices! pro noxia cœli
Sydera,& adversis nimis invidiosa *Batavis*!
Illa cohors nostris minitans incendia Portis
Quæque truci famulos cervice reposcerat *Anglos*
Supplex ante pedes jam tanti nescia fastus
Sternitur, & positis Pacem complectitur armis.
Irrita spes cecidit. Tuque O *DEUS* optime, fato
Torsisti meliore Rotam: premis ipse ruentes
In nova fata duces: immensas dividis Alnos,
Divisasque fugas. Tibi quæ *DEUS* alme feremus
Thura, precesque, *Tibi* quæ serta ingentia laudum?
Cujus magna manus, *Cujus* de Sydere celso
Servatrix nostris toties clementia terris
Luxit, successusque novis successibus auxit.
Belligeræ cujus divina Potentia dextræ
Tanta per attonitas egit miracula gentes,
Quæ memor æternis fœlix feret *Anglia* seclis,
Anglia, quæ tantos terrarum experta triumphos,
Quæque salo fusos toties testabitur hostes,
Dum positas Pelagi metas, & mensa profundi
Iugera *Batavicis* toties sulcata carinis
Asserit,& mediis causam discriminat undis.
Auspiciis sic via bonis *Respublica* magni

Cu-

Cura Poli graderis tot terrarumque Trophæis
Adjicis immensi spatiosa volumina ponti,
Marmore ut undarum tantos legat adventa casus
Lectaque tot *Briticæ* stupeat magnalia terræ.
Vosque triumphales, nostri capita alta profundi
Surgite *Neptuni*, validumque rotale *Tridentem*;
Crescite in immensum nascentia sydera solem
Blake potens *Monache* & fatalia nomina *Belgis*
Crescite *Ledæi* Fratres! duo fulmina terræ
Scipiadæ nostrique maris! vos carbasa passim
Pandite, & in medio dominantia sistite mundo
Vestra *Semiramiæ* timeant insignia turres,
Cumque leget validos terrâ Pelagoque *Britannos*
Ipse *Mahometes* spatiosas contrahet oras,
Et terrore novo Capitis distorta *Tiara*
Decidat, & tremulæ caligent cornua lunæ.
A ducibus tantis tantos sperare triumphos
* Fas fuerit modo si cœtus *Venerabilis* Ille
Comprobet, & tanti laudet molimina cœpti:
Cumque *OLIVARE* Pater ratibus cingentibus or[illegible]m
Consiliis aderis validosque afflaveris ausus.
Magne *OLIVARE* Pater cujus suspensior *Anglus*
Pendet ab ore, novos mox quæsiturus honores.
Vivere sub tali gauderet Principe *Brutus*

* Concilium; sive conventus supremus dom. Protectoris.

Brutus

Brutus grande Decus, libertatisque repertor
Ausoniæ, qui jura suis fascesque reduxit.
Temperiem laudare tuam, moresque modestos
Fabricius cuperet, placidæque accumbere mensæ.
Ipse ubi divinis exornas fercula dictis,
Et sacros facis ore cibos; ubi sobria quisque
Adspersis salibus nullo formidine miscet.
Non ibi deliciis augens impendia vanis
Luxuries populatur opes, rebusque novandis
Prodiga mollities aditum non sternit, & aulæ
Pestis semiviros repetit lascivia cœtus.
Non ibi deformis *Lucretia* damna rapinæ
Lugebit, castæ nec solvet vincula zonæ
Virgo, pudicitiæ compos. Te vindice servat,
Jura thorus, thalamusque Fidem; nec fœdus adulter,
Vel potator iners; juratoresve profani
Candida pollutis intrabunt limina plantis.
Sub ditione Domus *Curiorum* Castior ordo
Iret, & intonsi *Romæ* decora alta *Catones*
Promptius à tanto caperent documenta magistro.
Explicuit cujus cunctos sapientia pernix
Eventus, rerumque vices. Iuvenilibus annis
Scilicet ad magnum, patrio de more *Senatum*
Accitus, trabeatus ades, tot sacra loquentem

Purpurei ſtupuere patres, ſtupuere *Solones*.
Hæc dudum conſulta tuis *OLIVARE* dediſti
Incumbens Paci, cum nixa *Britannia* firmo
Robore, & integro ſteterat tutiſsima trunco;
At poſtquam diviſa ſuis, ægrota petebat
Auxilium, medicamque manum ; cumq; Hæreſis effrons
Atque ſuperſtitio cæcis ambagibus omnes
Implicuit, nigris *Angloſque* umbraverat alis:
Exutâ mox inde togâ, trabeiſque verendis
Arma capis, patriâ pro libertate tuendâ,
Fulmineumque rotas tutandis legibus enſem.
Hinc nova libertas rapidis peritura favillis
Tutior illuxit, tantoſque experta tumultus
Apparens, tandem poſitis pacatior armis
Te *Protectorem* fuſis amplectitur ulnis.
Scribentem ſed Bella vocant, raucique repoſcunt
Te litui, ſævæquæ tubæ ; proh celſa trophæis
Omnigenis mens digna quidem, nulliſq; triumphans
Limitibus ſiſtenda manus! non *Anglia* ferro
Cancellos metaſque dabit ; dum jugera Sulcas
Oceani inque alios ruis implacabilis hoſtes.
Puppibus obruitur Pelagus ; trepidavit *Ierna*
Adventu ſtupefacta tuo ; vexillaque *Thule*,
Thule Pictigenæ timuit pars ultima terræ.

Dici-

Dicite *Monticolæ* quis vos tunc perculit horror
Sub veſtra ditione merens cum nobilis ille
Judicio pollens, & prudentiſsimus armis
Fortis *OVARTONVS* vos tot de more ferarum
Egerat à cæcis latebris; tum ſanguine fuſo
Occiduæ rubuere plagæ, tum mollius ipſis
Indigenis flevit tepido *Argathelia* rore
Nil veſtris *Cantire* plagis, nil profuit hoſti
Munitis hæſiſſe locis; ſpes irrita *Mullæ*
Ceſsit, & armiſonis ſcopuli tremure procellis.
Illud iter magnum illud opus memorabile, terras
Ibit in extremas longumque fatebitur ætas
Cromelicæ monumenta manus. Prius ecquis avorum
Scandit inacceſſos ſcopulos? prius imbribus ecquis
Bellavit victor tantis, nivibuſque Trionum?
Ipſe licet totum cum pube ſubegerat orbem
Cumque ſuo *Scoto* validum expugnaverat *Anglum*,
Siſtitit hic *Aquilas* ſublimes, ſiſtitit ingens
Julius, arctoam nec fulmine terruit oram.
Illa gelu defenſa ſuâ, ſcopuliſque ſtupendis
Nixa, per undantes ſteterat ſecura procellas,
Nullaque *Montani* metuerunt agmina *Picti*.
Sed quid ego exigua conor comprehendere charta
Multiplices actus, tantæque pericula dextræ?

Quæ dum conor iners videor tantum addere guttas
Oceano, rutiloque facem protendere Olympo.
Ergo *Thalia* sile, Plectrisque urgere camænas
Desine, & arctato præconia cingere circo.
Illustras pugnas, immensaque gesta loquantur
Annales *RUSHWORTHE* tui, dignissime R*ushworth*,
Cujus pacato struxerunt Pectore sedem
Blandus honos, candorque placens, & quicquid honesti
Tullius eloquio explicuit, nostrisque reliquit.
Cujus gnara manus, mensque observantior æqui
Intaminata nitet: quem rerum longior usus,
Et Ratio notum merito fecere magistrum.

Joannes Rushworthius vir eruditione, & morum suavitate spectatissimus, nec modo suis, sed & peregrinis omnibus perquam gratissimus. Idem etiam *Dunbarri*, *Naisbei*, & alia Prelia accuratissime depinxit

Ille Tuos actus operosa mole recondet
Qui vigil *Occiduis* quicquid memorabile terris
Sicut acu punxit calamo, pinxitque Tabellis.
Unde ut non multis involvam ambagibus aures
Prælia picta micant, & tot certamina surgunt
Ingenii monumenta pii; meritumque levabunt
FAIRFAXI super astra decus, pariterque *Olivari*
Digna *Corinthiacis* cælari gesta columnis.
Sæculi Io *Coromele* stupor, qui magnus in armis
Sed major pietate micas, dum numine dextro
Progrederis toties pugnans, totiesque triumphans.
Adjiciunt exempla fidem, testantur honores,

Castra-

Castraque victuros tot debellata triumphos.
Tu quoque non modicas superata *Vigornia* laudes
Addis *OLIVARO*, cujus vicisse videtur
Horribilis laniena fidem, nec credere quenquam
Fas fuerit nisi qui tantis interfuit ausis.
Postera nec tantos cælabunt secla labores;
Classica, & armorum strepitus, & murmura raucis
Ingeminata tubis, convulsaque sulphure saxa
Audivit procul, audivit *Glovernia* tellus,
Totaque concussis tremuit *Sabrina* lacunis.
Nec secus *Augustus* celsa sub *Leucade* victor
Agmina dejecit *Phario* crepitantia *Sistro*
Nec tantum *Fabios* equidem valuisse trecentos
Qui patriæ vallum corpus fecere, suoque
Sanguine clauserunt aditus hostilibus armis,
Crediderim, non ambusto te Scævola trunco.
Cerne ducem placidæ quæ sit reverentia fronti!
Quis decor incano capiti! Quæ lumina vestit
Gratia! maturo quid majestatis in ore
Fulgeat! extentos humeros, pectusque levatum
Fortius, atque hirsuta toris, porrectaque cerne
Brachia nervorum solidis compagibus arcta.
Quam bene sub thorace sedent mavortia corda!
Cum rutilare faces conos, adamantaque summo

Ver-

Vertice vibrantes late diffundere flammas
Adversæ videre acies, trepidare videres
Corda manusq; hominum, tremuloq; in stapede plantas
Stare loco nescire, ducis præsentia tanti est.
Quæ non seditio ? Quæ non insania nautæ
Te viso lenita fuit ? testabitur aulæ
Area finitimæ, cœtus populosior illos
Stronda feret lætique crucis vestigia prisca,
Obstreperi coeunt nautæ ; densantur in unam
Congeriem vaga turba hominũ tumido ore frementum
Fundentumque minas, formidandosque furores
Ipse satellitio tenui stipatus anhelas
Bacchantum sedas rabies, & Apollinis instar
Discutis horrificas tenebras, Pacisque serenum
Restituis streperæ per tot glomeramina Turmæ.
    Corporis hæc moles validæque exercita dextræ
Vis tibi tanta fuit ; sed celsæ pondera mentis
Quis capit ? aut dignis animum conatibus æquet ?
Hæc est, quæ in casus te dudum armaverat omnes
Nullis læsa minis nullisque impulsa procellis
Rarius irato didicit succumbere Fato.
Hinc premis irarum fluctus, sensusque vagantes
In Gyrum rationis agis ; ceu fertur habenis
Castor *Amyclæis* domitos egisse Iugales.

Hinc

Hinc nutu geminas acies, turmaſque coerces:
Nempe tuis nunquam methodus, vel ſtrictior ordo
Ceſſavit cum ſæpe Ceres, annonaque caſtris
Defuerant, magis inde tuæ conſtantia mentis
Luxit, et admoto crevit fiducia damno.
Obſeſſus quibus ipſe malis, hinc hoſtibus, illinc
Imperitante fame, mortemque minantibus armis,
Dunbarri feret illa dies; memorabilis illa
Indigenis exoſa dies teſtabitur ingens
Pectus, & ad ſeros deſcendet fama nepotes.
O quam Belligerum tunc debellaveris hoſtem,
Cum terra pelagoque aditus præcluſerat omnes
Suppetiaſque tuis, circumductaque corona
Militis, errantes circo breviore reduxit?
Inde Leoninâ rabie venabula contra
Erigeris fœlix, dirique indaginis horrens
Ictibus eluſiſti ictus, & fulmina penſans
Fulminibus, perrumpis iter, laxataque pandens
Arva, *Caledoniæ* ſternis glomeramina Turmæ.
Sic peditum ductor propero cunctantia motu
Agmina voce trahens, antiſtes ipſe labores
Aggrederis quoſcunque jubes. Te ingentia caſtra
Teque ducem ſequitur miles per vulnera & enſes;
Aggrederis ceu valle viam, ſive ardua montis

Per

Per juga, ceu cœcis ſylvarum in montibus erras;
Annoſum veluti cervum ramoſa ſequuntur
Cornua *Strymoniæque* grues ſuper atra ſequuntur
Nubila ductorem & certo procul ordine cingunt.
Sic dictis factiſque præis: Quæ militis, illa
Sors eadem tibi triſtis erat, ſimileſque fuerunt
Et dux, & vitæ ſuetus veteranus acerbæ.
O quoties viſus (paſsim, cingentibus armis)
Caſtrenſi recubare toro, ſomnique cibique
Ut pariter parcus, ſic vitæ prodigus, hoſtes
Ire per attonitos, fuſique tonitrua ferri.
Quid memorem triſtes noctes, cruciatibus ægram
Afflictamque animam, cum mors vicina ſagittis
Ingruerat, longo penetrans præcordia morbo?
Finitimæ O quoties ſub iniquo ſydere *LETHÆ*
Excipere obſtreperas pluvias, & mixta pruinis,
Frigora viſus eras, cum Pulvinaria montes
Arthuri, & rigidæ ſternebant culcitra rupes?
Quanta fuit ducibus rabies? quæ cura ſequentis
Militis, effuſos quoties veherere per agros,
Vulnificoque ſeges ſtaret mavortia vultu?
Vicinis fremuere jugis tum culmina celſi
PENCLANDI, & totis tremuit *Caledonia* fibris;
Quis pavor in celſis tentoria cernere clivis

Quis

Quis stupor indigenis, speculis numerosa cadurca,
Atque novum vidisse nemus? nulloque serente,
Jugera fraxineos tot parturentia saltus?
Sic gressus quacunque feres, te fama sequetur
Et circumfusis volitans victoria pennis
Sæpe domi, semperque foras virtutibus actum
Implentemque vagis trepidos terroribus hostes.
Scilicet ipse animi pollens, discrimina *Martis*
Præsaga virtute vides, longeque *Magister*
Omnia *Militiæ* polles documenta vetustæ.
Quis vaga castra locat Te cautius? opprimit hostem
Durius? aut cingit melius munimine vallum?
Jungere quis socias sciat aptius ordine Rhedas?
Bellica quis tormenta hosti, ventura tenere
Et loca fluminibus vicina! & pinguibus arvis
Deligere, & duplicem Castris deducere fossam?
Quis? cum poscis equum simulachraque martia tentas
Quis celeres sinuare gradus? quis tendere contum
Promptior, aut subitos melior flexisse recursus,
Cornipidemque vago lunare in cornua Gyro?
Cedite *Iberorum* domini: vos *Gallica* pubes
Ledæique pares gemini cum Castore *Pollux*
Ipsi equiti cedant *Tibi*; quem si *Pegasus* ingens
Novisset famulis cecidisset *Pegasus* alis

Portaretque libens, & tantâ mole superbus
Bellerophontæas indignaretur habenas.
Sic fecit *Natura* virum, *Prudentia* finxit
Sed genio meliore Ducem. Strateoticus armis
Hinc nobis *Polemarchus* ades, cui cœlica surgunt
Numina, successesque novos succesibus urgent.
Numiha quæ pulchro struxerunt pectore templum,
In quo Doctrinæ Probitas, & nescia fasi
Relligio, Pietasque habitant: ubi magnus Olympi
Cursus, & astrorum leges, ubi scrinia mundi
Naturæque *Arcana* patent; ubi cernitur omnis
Quid divina velit, quid suaserit *Ethica* virtus
Quicquid *Socratico* manavit ab ordine, quicquid
Clara *Cleanthea* docuerunt turba lucernæ;
Quicquid laudavit *Scythicis Anacharsis* in oris
Quicquid legifero profecit Sparta *Lycurgo*,
Quicquid *Ericthæis* Cynicorum turba studebat
Gymnasiis; quicquid dixit, tacuitque loquendo
Pythagoras, *OLIVARE* tuum est, qui abstrusa latebris,
Eruis ingenio, rerumque oracula pandens,
Concipis immensos spatioso pectore mundos!
Tecum *Graia* loqui, tecum *Romana* vetustas
Et prisci didicere patres: tibi constat abunde
Regna quibus surgant, quibus & concussa retrorsum

Inter-

Intereant labefacta modis. Tu crimina regum
Et motus aperire potes; Tu jurgia nôſti
Borbonidum, Latiæ ſimultateſque Tiaræ.
Utque apis ex diro (per florida prata) veneno
Mella legis,firmaſque tui fundamina ſceptri.
Nempe animi præſtans quam damnoſiſsima diſcis
Bella forent, paciſque tenax, flagrante tumultu
Proſpicis, & propriis arces incendia terris.
Argumentum ingens, & non imitabile pingi
Vulgo hominum virtutis opus, dum montis ad inſtar
Caucaſei, aut geminæ librato examine lancis
Stare loco, & partem nôſti non vergere in ullam
Devius aut odii motu, vel pondere amoris.
Scilicet inconcuſſa tibi ſtant corda, nec auro,
Nec ferro temerata *fides*, Impervia cunctis
Muneribus, nulloque manet mutanda metallo.
Sic regis affectus animi, mentiſque *Monarcha*
Fortior,impreſsis ſenſus componis habenis.
Nec te juſſa juvant,mandataque ſtricta regentum
Quæ juſſos feciſſe pigent; quæ nempe jubebis
Hæc æquâ pietate ſubis, dum cuncta ſeneram
Inveniunt præcepta fidem, conſtantibus actis
Quoque vocas,*OLIVARE*,præis. Nec cuncta licere
Quæ poſſent libuiſſe putes. Rectore perito

Tutius imperium credens quam militis armis
Præſidio, ferrove tegi, Tu Pectora *Achatis*
Viribus *Æneæ* jungis; ſociataqne nectis
Robora conſiliis, ut quâ profuderis hoſtes
Dextrâ conſerves cives. *Tritonia* virgo
Non ſecus *Illa* manu quâ tot deleverat urbes,
Quâque truces portas & propugnacula rupit,
Liventes violas, & flores fertur eâdem
Purpureos ſociâſſe manu. Sic magne *OLIVARE*
*Q*uem non ſummarum latet experientia rerum;
*Q*uem non divini latuere oracula cultus,
Non legum latuere libri: quæ munia poſcat
Apta magiſtratus ſcis, quid deceatque jubere,
Dedeceatque pati. Sævæ Ipſe tyrannidis ultor
Servitium, gyaraſque doles; applauſibus implens
In Bellum *Decios* pro libertate ruentes.
Horreſcis regum maculas; in ſæcula culpans
Cæſareæ portenta domus. Tum vita placebit
Candida *Trajani*, non tam quod *Tigride* victo,
Celſa vel edomitis petiit capitolia *Dacis*,
Sed patriæ quod mitis erat, poteratque ſubire
Et ſervi, regiſque vices. Cupidiſsimus æqui
Perfidiam damnas *Metii*, moreſque ſuperbos
Tarquinii, & tremulo decuſſa papavera trunco.

Faſti-

Faſtidis diros *Gracchos*, rapidoſque *Cethegos*,
Et veteres querulâ ſubnixos voce Tribunos!
Sed placuere tibi magnus *Serranus*, & ingens
Fabricius, pugnanſque ſuâ pro gente *Camillus*.
Mutius in flammâ, Coclesque in ponte reciſo,
Æmilius ſibi bis geminus, ter *Horatius* unus;
Et *Curius* qui meſſor eques, trabeatus arator;
Contemptorque *Afri*, ſacraque in morte ſuperſtes,
Regulus & dives paupertas nobilis *Anci*.
Quique cooptatus conſul de vomere raptus
Induit ante boves chlamydem, & quâ ligna ſecavit
Percuſsit, ſontes torquataque colla *Securi*.
Tunc animum ſubeunt immotâ mente *Catones*,
Marcellique truces, formidandique *Metelli*.
Secula tu *Mariæ* nôſti, *Scyllæque* cohortes
Civili patrios ſcelerantes ſanguine campos;
Nullaque *Romanæ* monumenta ingentia pugnæ
Egregia te clade latent. *Marathonica* nôſti
Bella, *Saguntinaſque* faces, *Cannaſque*, *Padumque*,
Et quanto *Leucas*, quanto *Cathelonica* rurſus
Subdita ſuffuſo ſpumavit *terra* cruore.
Inde per annales noſtros, primordia regni
Mundo aperis, regeſque truces, per pectora plebis
Effoſsâ feritate viâ; tepidique cruoris

Cæmen-

Cæmento *Britici* posito fundamina sceptri.
Samothidum mox regna notas, antiqua parentum
Samothidum, qui prima dabant sua jura *Britannis*;
A subitis quorum fatis OLIVARE doceris
Ut Reges delicta suum, delictaque Regum
Sæpe luant populi; nec tu pater *Albion* Anglis
Bruteve pacificis vidistis sæcula sceptris.
Tum *Latias* spectas aquilas, & *Cæsaris* acta
Qui *Britonum* turmas magno cum rege *Belino*
Dejecit rapidas *Tamisini* ad fluminis undas.
Mox usurpati defles dispendia sceptri,
Vortigerum damnasque trucem in sua regna cientem
Hengistum, nec non fraterni sanguinis *Horsum*:
Tum male divisi spirantia viscera regni
Ingemis, à sævo toties convulsa *Sycambro*,
Et septem geminis tandem partita tyrannis.
Ipse animi mollis servili sorte gravatos
Aspicis *Angligenas*, & tot per sæcula iniquas
Cymbrorum rabies in libera colla furentum.
Tum quantum peregrina cohors, Exotica quantum
Agmina sævibant memoras, ab origine damnans
Normanni portenta *Nothi*, stuprataque sceptra
Et male fraudatos nativo jure *Britannos*.
Tu legis *Edvardum* qui nominis audit ejusdem

Terti-

Tertius, *Henricique* ſtupes certamina quinti
Francia ſub quorum totius victricibus armis
Horruit, & niveum totius mutata colorem
Celtica ſanguineis rubuerunt Lilia rivis
Eboracæ mox damna domus, *Lancaſtraque* defles
Stemmata, ſub dubio toties quæſita *Duello*,
Pallenteſque Roſas fraterno rore R*ubentes*.
Ultimus *Henricus*, nec tanti Principis acta,
Geſtave *Woolſæi* victuri in ſecula longa
Te *Cromele* latent; nec magni fama *Cromeli*
Vnde atavi merito ſortiti nobile nomen,
Atque *Gulelmiadum* vetus & memorabile ſtemma
Cambriacis defluxit *Avis*. Virtutibus auges
Sic faſces *Olivare* tuos, majorque *Cromelo*
Prægrandi, majora ſtruis ſuperanſque parentum
Stemmata, in attoniti graderis miracula mundi.
Sic legis *annales* noſtros, & clymata *Iernœ*
Voluis, & à primis creſcentia culmina cunis.
Tunc conſanguineam gentem, moreſque revolvis
Scotorum, fatale genus tot regibus olim
Morte repentinâ raptis, infandaque Regum
Funera, nec *Siccum* repetentum pace *Sepulchrum*.
Fuſius ex imo, tum R*ector* maxime, fundo
Ducta *Luellenidum* ex Lumbis cunabula calles

Pri-

Prima *Stuartorum*, dum tot per ſecula nomen
Pandis ab *Officio* primum, & miraris *Olympum*,
Aſtraque *Sceptriferis* totius inimica *Jacobis*.
Nec ſatis eſt hærere domi; peregrina recenſes
Longinqui commenta ſoli. Tibi pagina dives
Et genio victura ſuo, nunc intonat arma
Chriſtiadum, *Ionii* ſpumantia Cærula Ponti,
Et multo ſaturos ſuffuſo ſanguine Piſces;
Cum *Venetum* perlæta *Duci* victoria opimos
Protulit *Oſmanidum* Immensâ de ſtrage triumphos,
Et debellatas *Achelous* decolor undas
Corporibus creviſſe videt, metuitque teneri,
Atque iterum *Herculeâ* truncari Gymnade Frontem.
Magnificas mox mente domus, & tecta pererras,
Geſtaque *Teutonidum*; nec non metuenda *Viennæ*
Mœnia, *Pannonico* toties ditata tributo.
Mœnia pro Belli merces! monumenta *Richardi*
Mæſta *manumiſsi*, ſacroque exſtructa Metallo.
Scilicet in reditum Regis *Templa* undique & *Aræ*.
Redditibus exuta ſuis ſolitiſque Trophæis,
Ipſa vel exhauſto vendenti vaſcula *Clero*.
Inde *Palatini* (qua *Rheni* Cornua creſcunt)
Fata *Friderici*, ſupremaque Funera verſas,
Qui fœlix forſan longum viguiſſet in ævum

Si

Si non gloriolæ ſpe ſublactatus inani
Nixus *IACOBO Generi* ſibi jure negatos
Turbidus *Auſtriadum* bello quæſiſſet honores,
Et *Conjuratis* ambiſſet ſceptra *Bohemis.*
Hæc olim meminiſſe placet. Cum ſydere, ſcœnâ
Tunc versâ, vicina legis; propioraque Geſta:
Unde laboriferæ laudas molimina gentis,
Et *Batavos* imitaris *Apes,* qui nectare cellas
Stipant flavicomas, hoſtemque à finibus arcent.
Tum cunas, tanti & populi primordia diſcis;
Et quoties teneris ad noverit ubera labris
ELIZABETHA Parens, memoras, ſtrageſq; Potentum
Voluis, & *Alviaci* nomen fatale *Tyranni.*
Sic cumulũ agglomeras cumulis. Rerumq; *Magiſter*
Ipſe *Sciens* graderis, nec geſtis longius hærens
Præteritis, heſterna notas; per *Gallica* Regna
Celtarum nova geſta legens. Quid ſceptrifer ille
Geſſerit *Henricus*? quid *Memorancius* Heros?
Quis *Pleſsi-Richeleus* erat? vel qualis Adolphus
Scire Tuum eſt, tantum Fibriſq; recondere Regem;
Qui plumis vulſiſque potens nudaverat alis
Auſtriacas aquilas, totieſque faventibus aſtris
Tinxerat attonitos funeſtis cladibus hoſtes.
Terrarum O quondam, magnum, nunc *Sydus* Olympi,

Stelliferæ fulgorque Plagæ; ſeptena *Trionum*
Aſtra ſuper curru vectus radiante coruſcas
Arctoum luſtrans propiore lumine mundum.
Sic ſemper vivet victrix in ſæcula virtus
Funereos tranſgreſſa Rogos; R*exque* ipſe ſuperſtes
Parte tui meliore clues; cui *FILIA* Pectus
Induit auguſtum, Majeſtatemque coronæ.
FILIA fœminei quæ longum gloria ſexus,
Geſtit *Amazonios* longum ſuperare labores,
Dum mediis volitat cuneis cataphracta, viroſque
Incitat exemplo, & Bellaces inſtruit alas.
Ingentes operas quas *Tu*! quæ perficis acta
Fœmina, fœmineis, majoraque viribus audes!
Qualis in *Argolicas* acies, & Robur *Achillis*
Unica peltatis præſtans virtute puellis
Pentheſelea fuit, teliſque frequentibus ibat
*B*ellatrix, gaviſa viris concurrere *Virgo*.
Talis in adverſas raperis *Fortiſsima* turmas
Magnanimo ſublimis Equo, cui *Maſcula* cuncta,
Et *Muliebre* nihil, dum ſic virtutibus annos
Anticipas, totoque creas *Miracula* mundo.
FILIA pro vivax tanti genitoris imago!
FILIA cura Poli; terrarum gemma! ſtupenda
Innumeræ R*egina* plagæ! cui corda tot uno

Quot

Quot populi *Vittata* jugo; quæ fortis in armis
Fortior at meritis patrio muniris amore,
Inque animis *Procerum* pomp â meliore triumphas.
Ante pedes, hinc ordo ducum, ſoliumque *Dynaſtæ*
Indigenæ de more petunt; Illuſtrior illinc.
Turba *Puellarum*, matronarumque pudicis
Te cingunt *CHRISTINA* choris, vicibuſq; refulgent
Stellarum in morem, cum Tu *Latonia* terras
Viſeris, *Arctoum* radiiſque afflaveris orbem.

Hæc veterum ſimulachra Ducum, moreſq; recentũ
Sicut in *Aulæis* pictis, nitidiſve *Tabellis*
Ante oculos *Olivare* locas; quæ digeris imis
Senſibus, & proprias confers in publica curas.
Non ſecus Auricomis *Hyblœa* Examina turmis
Purpureos populantur agros, & pectore toto
Floribus incumbunt, & quæ prædantur ab hortis
Mella, Domi referunt, & cerea caſtra reviſunt.
Euge! *Gubernac'lum* ſimili ſubeunte *Magiſtro*
Obſtreperos nimbos, tempeſtatumve tumultus,
Aut caligantes nigris ſub nubibus imbres
Formidare nefas; *Te* clavum, Alnumque regente
Sulcabit refluos victrix *Reſpublica* fluctus
Naufragii nec facta feret, licet unde tumeſcat,
Et conjurati coeant in prælia venti.

Quale Fretis surgens incussis fluctibus ingens
Impavidum dat *Bassa* latus; quamvisque sonoræ
Vociferentur aquæ spumantes murmure circum:
Illa petita vadis, antiqua sede superba
Perstat, & intacto stabit per secla tenore.
Sic cunctis secura manes *Respublica* damnis.
Quod si longinquis ausint excurrere terris
Fulmina Piniferæ *Thamesis* vibrata retrorsum
Agmina, fusa ferent, patriisque appellere cogent
Littoribus, *Briticos* non turbatura Penates.
Quippe Tibi vasto circumvallata *Profundo*
Immotis stat *Terra* jugis; dispendia miles
Externus Tibi nulla feret, non machina muros
Eruet, aut celsas ibit *Prædator* in arces.
Tu nihil *Austriacos*, nihil *Hesperiosve* furores,
Dirave *Borbonii* metues molimina sceptri:
Brutaque *Trinacriæ* ridebis Fulmina terræ,
Ætna licet rapidis toties metuenda caminis
Surgat, & ignivomas ructet *Vesuvius* iras.
Euge! triumphales formosa *Britannia* Cristas
Tolle; Decus mundi! Cereris Domus! *Angele lucis! (* Innuit Evangelium.)
Magni cura Poli! quâ non formosius unum
Terra tulit Pelagusve solum. Si viseris oras
Puppe peregrinas; quâ cingitur *India* Gange;

Tergimi-

Tergiminique licet *Pastoris* inhoſpita Tecta,
Vel ſeptem gemini penetraveris oſtia *Nili*;
Suſaque tu quamvis, *Byzantaque* littora luſtres,
Threiciumque ſequaris *Hebrum*, nivibuſque tumentem
Strymona, Luctantumque in Pulvere ſigna requiras
Herculis, *Antæique* vagus, totumque (redire
Immemor) immenſis cingas erroribus orbem;
Omnia concedent, ſuper omnia noſtra placebit
Terra, procelloſi dominatrix *Inſula* Ponti
Regna tibi longinqua, cadent & poplite flexo
Te jubar *Europæ* nitidum, dominamque ſalutent.
Quam mollis faciliſque aer! non aſpera Bruma,
Non glacialis Hyems vacui ſpem lactet inanem
Agricolæ, ſed nec fatis gravioribus uſtos
Æſtus hiulcat agros; æſtivos frigore ſoles
Temperat aura recens, & amicis imbribus æther
Humectat ſegetem, fœcundo rore maritans.
Adde virum prolem; queis mundi longior axis
Non ſimiles tulit, aut tantis æquaverit auſis.
Aſpice ut afflictæ ſalvum pietatis *Aſylum* eſt
Perſugiumque *Piis*; urbes & amœna jugorum,
Culmina cum ſylvis, & tot cum pontibus amnes
Aſpice, & aprici turgentia gramina campi.
Aſpice terrarum tot *Propugnacula* Ponto

Victri-

Victricesque *Rates*, validosque agnosce *Britannos*.
Foelix eia solum! prægrandi surge *Magistro*,
Atque *OLIVARI* magnas comitere curules.
Quo Duce longinqui sulcabis jugera *Salsi*,
Atque per extremas ibis venerabile gentes!
Qua *Septem* vigili radiant Temone *Triones*
Et *Scythicæ* riguere Plagæ. Tibi *Caucasus* Ingens
Decidet, & gelidæ Potor *Tanaiticus* undæ.
Consiliis tantique Ducis Tu cærula *Verres*,
Et circumfusis pandentem vela carinis
Tostus *Arabs*, *Maurusque* itidem venerabitur ingens,
Et *Gemini* horrebunt spoliatis Mercibus *Indi*.
Tale Decus tumidi tandem debebimus *Angli*
Auspiciis *OLIVARE* tuis; *Olivare* futuri
Augurium prægrande *Boni*! quem cautior orbis
Aspicit, & magnos eventu suspicit actus.
Ille novus nostro qui fuserat orbe *Cometes*
Ad nova cœpta vocans, flammanti *Lampade* turmas
Dirigit Angligenas, tantosque *Illuminat* ausus.
Quis scit quanta pares nostræ medicamina *Genti*?
Quis scit quanta pares infidis funera *Cimbris*?
Quanta pares *Celtis*? quis scit quæ funera *Ibero*,
Austriacoque pares? quantisque *Britannica* longe
Tollere se subitis meditetur *Gloria* rebus.

Principe

Principe *Te* rursum nos *Adrastæa* reviset,
Et *Themidis* sincerus amor; *Pietasque* vicissim
Et *Pax* alternis miscebunt oscula labris.
O nimium tali fœlices pace *Britannos!*
Quos vigil ad placidos adduxit cura sopores
Principis, & faciem jussit nescire malorum.
Cum non ulterius ferali Buccina cantu
Raucaque securam turbabunt classica gentem;
Cum neque *Saxo* potens, *Scoti* prædabitur agros,
Nec se *Saxonidum* satiabit sanguine *Scotus*.
Rusticus inde senex liras intentus aratro
Ducere cui fœlix fuit ignorantia Belli
Tibia fortuito quoties male condita cippo
Increpuit rastris, hæsitque in *Casside* vomer
Pone boves tardos stimulans, spectabit anhelus
Inversis grandes glebis se tollere *Costas*,
Tristia sanguinei proh nuper signa *Duelli!*
Et simul O dicet quantum hæc mutantur ab illis
Tempora temporibus, cum nuper tristis *Erynnis*
Et torto in *Britones* fremuit *Bellona* flagello
Jam non *Prædator* spoliis pinguiscet opimis,
Nec fas finitimis fuerit ditescere damnis.
Non *Equitum* ulterius per nostra novalia *Turmæ*
Cædibus aspergent campos, non *Miles* Aratro

Su-

Sudantes disjunget Equos, per vimque caballos
Transferet à Rastris ad *Ephippia* fulva viator.
Prælia non operas rumpent, solitosve labores:
Nec sementinis cogetur ad arma diebus
Rusticus, aut gladio Marræ diffindere Ferrum.
Aurea venturam signabunt sæcula Pacem.
Incustoditum tuto tum stabit ovile,
Et sua fœcundæ repetent *Mulctralia* vaccæ.
Purpureus tumidis vitescit *Pampinus* arvis
Plenior, & pressis spumabit *Torcular* uvis:
Gratior innumeris assurget in Horrea culmis
Furta *Ceres*; procul hinc fugere horrentia dudum
Tesqua, nec antiqui meminerunt culta * *Rubeti*.
Nempe *Caledoniis* coalescent finibus Angli
Antiquis parcentque odiis. Opus hoc *OLIVARI*
PROTECTORIS erit geminos in fœdera fratres
Consociare Pedo & *Pastoris* more periti
Pascere disjunctas, & in *unum* cogere Gentes.
Ergo eia! unanimes concordi lege *Britanni*
Vos *Protectoris* venerandum attollite nomen
Surgant multiplices decorantia marmora pugnas
Phidiacâ cælata manu * *Faithornius* Ille
Ære tuos actus, & Gesta immensa recondat
Ille peritorum longe *Faithornius* ingens

* Carduum innuit Scotiæ.

* Dom. Faithornius Chalcographus Anglorum multis perasangis peritissimus qui jamiam Protectoris effigiem Typis æneis exaraturus est.

Glo-

Gloria *Praxitelum*, cælantum aut Marmore formas,
In Tua multiplices referet ſimulachra figuras.
Ille Tuos vultus operoſius ære recondet;
Ut *Tibi*, ceu * HENRICO Regi, (*Luteſia*, quaque
Sequana ſublapſis *Pontem* complectitur undis)
Sublimes *Statuæ* ſurgant; *Tibi* grata *Coloſſum*
Anglia ſupponat; *Te* Saxa, & *Præla* loquantur.
Interea noſtris, decus immortale *Britannis*,
Hoc SUPERI ſervate *Caput*; Te mitia ſtipent
Numina, & Angligenæ pernox *Vigilantia*, Terræ.
Sit ſine lite *Dies*, nec Sudum *Nubila* turbent,
Tempora *pacificos* tribuant *Nocturna* ſopores,
Atque OLIVARE Tuo *ſuccedant* omnia voto!
Vive *diu*, & *Pylii* tranſcendens *Neſtoris* Annos,
Sis Terris Pelogóque potens, preciúmque laboris
Immortale ferens, Terras applauſibus imples.
Ad Tua finitimi veniant nova fædera Galli,
Belgaque Martipotens: & quiſque laceſſere gentes
Audeat angligenas ut *Dania* tota tremiſcat,
Atque catenato flens *Elzineura* Profundo
Victorem ſtupeat: noſcâtque remotior *axis*,
Indomitum nihil eſſe *Pio*, Tutùmve *Profanis*.

* Pont. Neuf. Pariſiis, ubi in memoriam *H.* 4. Franciæ, ſtatua cataphracti Regis attollitur.

Votiva pro fælicitate *Protectoris* apprecatio.